

Quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

✠ Lécctio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

22, 1-10

In illo témpore:

- ¹ **R**espóndens Iesus
dixit íterum in parábolis
príncipibus sacerdotum et senióribus pópuli, dicens:
- ² «Símile factum est regnum cælórum hómini regi,
qui fecit núptias filio suo.
- ³ Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias,
et nolébant veníre.
- ⁴ Iterum misit álios servos dicens:
“Dícite invitátis:
Ecce prándium meum parávi,
tauri mei et altília occísa, et ómnia paráta;
veníte ad núptias”.
- ⁵ Illi autem neglexérunt et abiérunt, álius in villam suam,
álius vero ad negotiatióem suam;
- ⁶ réliqui vero tenuérunt servos eius
et contumélia afféctos occidérunt.
- ⁷ Rex autem irátus est
et, missis exercítibus suis,
pérdidit homicidas illos
et civitátem illórum succéndit.
- ⁸ Tunc ait servis suis:
“Núptiæ quidem parátæ sunt,
sed qui invitáti erant, non fuérunt digni;
- ⁹ ite ergo ad éxitus viárum
et quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias”.
- ¹⁰ Et egréssi servi illi in vias,
congregavérunt omnes, quos invenérunt,

malos et bonos;
et implétæ sunt núptiæ discumbéntium.

Verbum Dómini.